UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1860**

XXXVIII. Die Stadt Woldenberg bekundet, daß der Abt zu Marienwalde das Kaufgeld für Peter Stym's Gut zu Lamprechtsdorf vollständig gezahlt habe, am 20. April 1362.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

## XXXVII. Petze Stym und sein Bruder, der Schulze in Woldenberg, verkaufen dem Kloster Marienwalde 20 Hufen zu Lamprechtsdorf, am 21. März 1361.

In nomine domini Amen. Ad rei geste memoriam sempiternam Vniuersis Christi fidelibus presentia Cognituris Nos Consules Ciuitatis Woldenberg recognoscimus publice protestantes, Quod Peze dictus Stym et vxor eius Katherina vna cum fratre eius Gysone, prefecto in Woldenbergk Ciuitate predicta, matura consilio prehabito, non coacto modo, sed bona et libera voluntate, vendiderunt presentibus et vendunt, resignauerunt et in hiis scriptis resignant religiosis et reuerendis viris domino Joanni, Abbati in Marienwalde, totique conuentui ibidem viginti mansos sitos in rampis et metis ville Lamprechtsdorff cum omnibus pertinentiis suis et vtilitatibus vsu fructibus suis, pactu, pullis fumalibus et pactualibus cum collatione ecclesie cum medietate Judicii prefecture cum vno taberno (sic) et si aliquid in precaria habuerunt, Aut si vxori prenarrati Pezen, Katharine prescripte, aliqui mansi ex pretactis viginti mansis fuerint in dotalicium collati totum vendiderunt et resignauerunt. Et ipsa prenominata Katherina beneuole et benigne resignauit cum tali Jure, sicut ipsi et parentes eorum sepe dictos vinginti mansos in Lamprechtsdorff possederunt, pro quadringentis et viginti quinque marcis monete Stetinensis, Et in hac venditione tota briga et controuersia inter predictos religiosos et reuerendos viros dominos de Marienwalde et sepedictum Petzen Stym habita erit totaliter concordata, sedata et sopita, In cuius rei testimonium nostre Ciuitatis publicum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum in Woldenberg, Anno domini M°. CCC°. Sexagesimo primo, dominica die in ramis palmarum. Presentibus et testibus Arnoldo de Osten, Ludolpho de Mellentin, Gunthero de Guntersberg et Conrado de Crempzou, famulis strenuis, et Nicolao Hoine, Petro Lentzen, Conrado Doberpol et aliis quampluribus fide dignis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 20.

---

## XXXVIII. Die Stadt Woldenberg bekundet, daß der Abt zu Marienwalde das Kaufgeld für Peter Stym's Gut zu Lamprechtsdorf vollständig gezahlt habe, am 20. April 1362.

Vniuersis Christi fidelibus, Ad quorum notitiam presens scriptum peruenerit, Nos consules Ciuitatis Woldenbergk recognoscimus presentibus publice protestantes, Quod reuerendus vir frater Joannes, Abbas in Marienwalde, vna cum conuentu suo persoluit et pagauit integraliter et numerauit Trecentas et quinquaginta marcas monete Stetinensis petro dicto Stym, nostro ciui dilecto, pro mansis suis omnibus et bonis aliis suis, quos mansos et que bona predictus Petrus Stym in villa Lamprechtsdorff predicti domini Joannis Abbatis et sui conuentus quondam habuit et possedit. Nec non sepedictus petrus Stym vna cum vxore sua predictos mansos cum omni Jure eorum et cum omnibus pertinentiis suis, quocunque nomine censeantur, libere et beneuole resignauerunt. Preterea prenarratus Petrus Stym et vxor eius omnes promissores seu

fideiuſsores domini Johannis Abbatis et ſui conuentus ſepius memorati et eundem dominum Johannem Abbatem cum conuentu ſuo de Marienwalde a promiſsione ſeu ſolutione ac quietatione trecentarum marcarum et quinquaginta marcarum dimiſit liberos penitus et ſolutos. In cuius teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Actum et datum in Woldenbergk, Anno domini M°. CCC°. LXII°., Feria quarta infra octauas paſche, preſentibus et teſtibus Nicolao Oine, Petro Lentzen, Conrado doberpol, Johanne Hugert, Joanne Stubbow, Conrado Hauelandt et Nicolao Zachou et aliis quam pluribus fidedignis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 21.

---

## XXXIX. Abt und Convent zu Marienwalde leihen Nicolaus von Wildenau Hufen und Koſſäthen zu Lamprechtsdorf für ſeinen Hof Wildenau, am 24. Oktober 1362.

In nomine domini Amen. Ad rei geſte memoriam ſempiternam vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quorum notitiam preſens ſcriptum peruenerit, Nos frater Johannes, abbas in Marienwalde, totusque conuentus ibidem Recognoſcimus publice preſentibus proteſtando, Quod contulimus preſentibus et conferimus diſcreto viro et honeſto Nicolao dicto Wildenaw, noſtro fideli omagiali, et ſuis veris et legitimis heredibus Quinque manſos cum tertio dimidio coſsato ſitos in metis ville Lamprechtsdorff cum omni Jure in campis, pratis, paſcuis, fructibus, vtilitatibus, ſicut alii manſi ibidem ſituati dinoſcuntur habere, libere poſsidendos. Etiam fauemus eidem, vt currum ſuum mittat pro tempore et pro ſua neceſsitate ad noſtram mericam pro lignis ſiccis jacentibus colligendis. Etiam ſibi dabimus ligna ad ſua edificia conſtruenda, ſi pro eis rogauerit benigne et obnixe. Cum hoc habebit minationem ouium, quamdiu ipſe predictos quinque manſos poſsidebit. Si autem contigerit vt prenarratus Nicolaus venderet ac permutaret prefatos quinque manſos, Tunc pretacta minatio ouium nulla erit ſed mortua, Et emptori et ſucceſsori cedere debet aut conferri modo nullo. Quos quidam quinque manſos ſepe dicto Nicolao contulimus ratione permutationis, recompenſationis et iuſti tituli emptionis dimidietatis curie wyldenau ſite infra terminos noſtre merice et ville Költzich cum omnibus pertinentiis et poſseſsionibus et omni Jure In campis, ſyluis, nemoribus, pratis, paſcuis, ſtagnis, metis, fructibus, vtilitatibus, vſufructibus, ſicut memoratus Nicolaus et parentes ſui pretactam curiam actenus poſsiderunt. Preterea quicquid ſepedictus Nicolaus in villa Koltzich habuit in poſseſsione et Jure aliquali in ſtagnis, coſsatis et tabernis et quicquid ſucceſſione hereditatis paterne ſuccedere ſibi poterat, nobis totaliter reſignauit. In cuius rei teſtimonium ſigilla ſcilicet noſtrum et noſtri conuentus preſentibus ſunt appenſa, Preſentibus et teſtibus diſcretis et honorabilibus viris Domino Nicolao, plebano in Plawe, Ludouico Haſeloue, Ludolpho et Hennigo dictis de Mellentin, Bruningo de Zegeuelde, Johan Valwe, Petro Sallentin et Nicolao, prefecto in Cloſterfelde, et aliis quam pluribus fidedignis. Actum et datum in Marienwalde, Anno domini M°. CCC°. LXII, Feria ſecunda ante feſtum Simonis et Jude Apoſtolorum beatorum.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 23.

---